

## **Methodus curandi phlegmonas ... / Robertus Keuchenius.**

### **Contributors**

Keuchenius, Robertus, active 1584.  
Planer, Andreas, 1546-1607.

### **Publication/Creation**

Tubingae : Georgius Gruppenbachius, Anno 1584.

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/kq2cuay9>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

# Methodus curandi phle- gmonas.

Q V A M

*Faudente Deo Opt. Max.*

## RÆSIDE VIRO

LARISSIMO D. ANDREA  
ANERO ATHESINO, CELEBERRIMO  
Doctore ac Professore Medico, Præceptore suo  
semper colendo, pro ingenij sui tenuita-  
te defendere conabitur,

ROBERTVS KEVCHENIVS, ET GEN-  
*dorpius.*

Die 21. Nouemb. hora consueta, in Auditorio  
Medicorum,




T V B I N G A,  
Excudebat Georgius Gruppenbachius.  
ANNO M. D. LXXXIIII.

*Handwritten signature: B. Meyer*

21.







# METHODVS CVRANDI

## PHLEGMONAS.

### Quæstio.

**Q**UONIAM CVM PHLEGMONE alicuius partis coincidunt & concurrunt plures & diuersi affectus, quorum quilibet suam peculiarem indicationem exhibet, contrarietatem videlicet, qua tollatur: ideo non immeritò queritur, quomodo vnicus ille euacuationis scopus, cuius Gal. in artis parua cap. 95. meminit, pro curatione phlegmones sufficiat: cum singulis contrariè non opponatur, sed duntaxat respiciat ipsam immoderatam partis, qua in phlegmone est, repletionem?

### Thema I.

Primum distinguere debent antecedentes & coniunctæ phlegmones causæ, ut quæ diuersa omnino præsidia & auxilia postulent: illæ quidem προφυλακικæ: hæ autem θεραπευτικæ. Causas namq; ut Gal. 13. meth. inquit, quæ phlegmonem excitare videntur, cum iam in corpore sunt conceptæ, sed tamen exigua adhuc & incipientes, utique ne maiores fiant, inhibere conuenit, quod ipsum præcauentis phlegmonem est officium: cum verò ea magnitudine sunt, ut iam phlegmonem creent, eas submouere oportet, ac quantum iam phlegmones genitum est, sanare: quod ipsius scilicet θεραπευτικῆς ἔργον est ac munus.

### II.

Deinde obseruandum, quòd illi affectus, qui cum phlegmone interdum coniunguntur ut morbi, peculiarem curationem postulent: qui autem symptomatū habent rationem, nihil propriè indicent, cum sponte sublato morbo recedant & euanescant. Quod ipsum in alijs etiam generibus vel differentijs morborum accidere solet, ubi neq; symptomatibus, quatenus talia sunt, debetur curatio, auctore Galeno.



## III.

Duo sunt omnino modi, per quos euacuatio fieri potest. Unus est, si ῥεπιστροφῇ humor membrum affectum replens, retrocedat, recurrat ac remeet quasi per easdem vias, per quas in partem inflammata delatus primum fuerat: quod Galenus eleganti vocabulo παλινδρομήσαι significare voluit. Alter est, si per ipsam patientem particulam euacuetur, subtracta scilicet & diminuta sanguinis illa redundantia ex ipsis minimis venulis & arteriolis in partem inflammata distributis, quas ipsa replet & distendit.

## IV.

Per retrocessum intelligimus illam receptionem sanguinis è minoribus vasis membri inflammati in maiores venas & arterias, à quibus in illas sanguis primum infuxit & incidit, sic enim translato sanguine è minoribus in maiores venas, pars inflammata repletionem sustinens euacuabitur. Nec intelligimus illum recessum, quo ἰχῶρ aut spiritus in inanibus spaciolis membri contentus remeet ac resumatur iterum in ipsas minutas venas & arterias membri inflammati, è quibus primò excidit per exhalationem aut transsudationem.

## V.

Sed per euacuationem totius partis, intelligimus deriuationem propriè sic dictam, quæ varijs modis fieri potest, & generatim pertinet ad terminum ad quem, in quo videlicet motus fluxionis cessauit & terminatus est, ut hinc materiam euacuemus, perinde ac si aquarum abundantiam per ipsos alvei riuulos subtrahamus: sic namq; in exiliores quasi riuulos dispergitur, & hinc omnino foràs educitur & euocatur.

## VI.

Retrocedit autem ῥεπιστροφῇ & id, quod in parte inflammata superabundat, vel impulsus, vel attractus, vel transmissus:

ve



vel horum uno aliquo modorum, vel omnibus. Neque prater  
 hos tres alius quidam modus excogitari potest: sed necessario  
 vel per ὥσπερ vel per ἐλξιν, vel per παραχωρητικὸν retrocessus ille  
 humoris procuratur & perficitur.

## VII.

Pulsus & ὥσπερ principium etsi aliàs duplex ac geminum esse  
 possit, unum internum, alterum externum: tamen pulsus illius,  
 quo humor à parte inflammata retrocedit, non principium in-  
 ternum aliquod, puta facultatem expultricem membro inflam-  
 mato insitam, statuimus: sed duntaxat externum, contra quàm  
 Argenterius argutissimus Medicus & Philosophus censuit.

## VIII.

Hoc verò nullum aliud esse potest, quàm aliquid refrigerans  
 & astringens, extrinsecus parti inflammata admotum, & quo-  
 quo modo occurrens. Quomodo enim aliquid frigidum occur-  
 rens, caussa sit, ut humores retrocedant, docet non solum aer  
 ambiens frigidior subito nobis circumfusus: sed etiam declarant  
 hoc animi quidam affectus, item syncope & λειποθυμία: in qui-  
 bus omnibus spiritus humoresq; ab externis ad interiora se re-  
 cipiunt recurruntq;.

## IX.

Frigida & astringentia duplici ratione vim habent pellendi  
 humorem & remouendi à parte inflammata, ut is retrocedat.  
 Primum, per se: quia astringentia illa medicamenta constri-  
 gunt partem, eius vasa porosq; coarctant, & constringendo ex-  
 primunt quasi humorem, & illum retrocedere cogunt. Deinde  
 quodammodo per accidens frigida repellunt, & retrocedere fa-  
 ciunt humorem, quoniam videlicet in occurrente frigore motus  
 impetusq; humoris, calore ferè incitatus, soluitur & interci-  
 pitur, sic ut non amplius irruat & irrumpat humor: & inter-



4.  
capiendo sic illius motum, frigus humorem concitatum repellere  
solet in inflammationibus.

X.

Porro, etiamsi frigidis & astringentibus procuratur ut illa  
qua à parte inflammata humor retrocedat: tamen inter illa est  
quædam differentia, tum ratione virium, tum ratione usus. Si-  
quidem frigida propriè sunt repellentia, quia longè repellunt hu-  
morem & sanguinem affluentem à parte inflammata: & ideo  
non sunt imponenda ipsi parti affecta, sed supra eam, ut à longè  
arceant influxum humoris, eiq; iter ad partem affectam præ-  
cludant: Sed astringentia sunt, quæ crassas habent partes, ut  
astringant & comprimant partem, & sic constringendo vasa in  
vnum, exprimunt quasi sanguinem in alias partes, unde etiam  
super ipsam partem affectam apponi debent.

XI.

Contrarius repulsioni motus, quo itidem superfluum à par-  
te humor retrocedit, est & dicitur ἄλξις, attractio, cuius effici-  
ens est terminus ad quem: hic videlicet, quò debemus attrahere  
à parte inflammata. Est enim ἄλξις motus trahentis, quo ad  
se, vel ad aliud admouet quippiam ab alio translatum: sicuti &  
contrà ὀρξις & repulsio respicit terminum à quo, cum sit, cum vel  
aliquid interno principio, vel aliunde, & ab alio aliquid à se re-  
mouet ad aliud.

XII.

Attractionis tres præsertim generales & communes cau-  
sæ constituuntur tum à Medicis, tum à Philosophis. Primum  
quidem est Calor, hinc enim tritum est in ore omnium Medico-  
rum, quòd calidum soleat attrahere, qua ratione videmus, ignem  
in lucerna ardentem oleum ad sese attrahere: & experientiâ con-  
stat, cucurbitulas propter calorem attrahere ad sese humores, si  
partem



partì alicui admonentur: per eandem etiam patet, quòd medicamenta quaedam calore materias attrahant, de quibus scribis Galen. lib. 5. de simpl. med. facult. cap. 16. & 2. de differ. febr. cap. 15.

## XIII.

Altera attractionis causa communiter statuitur esse convenientia qualitaturn, aut similitudo substantiarum, sicuti singula partes in humano corpore sibi familiare & iucundum alimentum pro sui conseruatione & nutritione alliciunt: & purgantia certos succos attrahere dicuntur: qualis tractus praesertim etiam apparet in magnete, cum ferrum attrahit, ut refert Galen. lib. 3. de natur. facultat. cap. 15.

## XIII.

Tertia est attractionis causa, qua describitur ratione successionis, & propter metum vacui, exinanita enim loca ad se ipsa attrahunt quaecunque reperiuntur, partes enim euacuata naturali desiderio repleri cupiunt: & qualibet materia nata & apta est ferri in locum vacuum, à quo natura planè abhorret. De qua causa tractus, sic etiam in allegato de natur. facult. libro Galen. scribit. Quòd si una vena magna exinanitur, quòd etiam reliquae venae inaniares & euacuata esse conspiciuntur, quòd portio nimirum ex illa in has sit recepta, propter illam successionem & metum vacui. Ac talis tractus causa vacui, non tantum in corpore humano, sed etiam in vniuersa natura reperitur.

## XV.

Non tamen tres istae generales attractionis cause sigillatim praestant hoc, ut ὁ περιττὸς à parte inflammata per τὸ λείπ attrahitum retrocedat. Siquidem similitudo substantiarum, etsi concedatur, tamen causa non potest esse huius attractionis superflui, cum nihil simile excogitare liceat, quod



quod extrinsecus adhibitum, sanguinem è parte inflammata attrahere possit, propter similitudinem substantiæ: & facultas etiam ipsa attractrix, singulis partibus alioqui insita, respectu nutritionis duntaxat describitur, & definitam habet ἐν ἐργασίᾳ.

## XVI.

Sed altera attractionis causa, quæ calori ascribitur, in præsentī casu locum habet, hinc enim partibus inflammatis conveniunt medicamenta calida, quæ propter calorem attrahunt, quæ tamen non ipsis partibus inflammatis sunt admouenda, sed potius illi parti & membromandanti, unde fluxionis est origo: nō enim ad locum affectum attrahere oportet, sed potius in contrarium fluxionis locum qua ratione ex ipso loco affecto retrocedit etiam humor. Ad quod præstandum non solum medicamenta attrahentia propter calorem, conveniunt: sed etiam alia quædam, quæ quoquo modo calorem excitare & accendere in parte opposita ipsi membro inflammato possunt: cuiusmodi sunt frictions cucurbitulæ, & si quæ sunt eius generis plura.

## XVII.

Tertia similiter causa locum habet, nimirum ut euacuationes procuremus: qua ratione venarum sectiones conveniunt, si namq; lien inflammatione laborat, è brachio sinistro sanguinem detrahimus, ut ista euacuatione facta, attractio aliqua fiat propter metum vacui. Quò pertinent omnia etiam alia præsidia reuulsiva, quæ aliquam habent vim & efficaciam euacuandi. His enim omnibus attractio fit aliqua, & in euacuati locum aliquid succedit, ne concedatur & admittatur vacuum.

## XVIII.

Respexerunt priora duo motus humorum principia, nempe ὄρις & ἔλξις, terminum à quo, & terminum ad quem: sed tertius motus, nempe παραπομπή seu transmissio, referri debet ad ipsum humorem mobilem, qui suo principio interno in certum locum



locum moueri potest, remoto omni impedimento, si quod est extrinsecus. Sic humores graues sponte decumbunt in partes inferiores: spiritus verò, & cum illo calidi tenuesq; succi, superiora petunt: si nihil adsit, quod obstet, motumq; illorum impediatur.

## XIX.

Impedimentum autem illud est viarum obstructio: si enim viae, per quas ferri & moueri aliàs possunt, sint patentēs & expeditae, sponte decurrent humores: si autem non sint apertae, tunc nos motum illum naturae humoris iuuare debemus, aperiendo & expediendo vias: quod facientes, verè humores transmittimus, & hoc praestamus, ut sponte ipsi postea humores à parte inflammata recedant & commigrent in alia loca, sic ut nos non exhibeamus principium motus, sed tantum remoueamus impedimenta in humorum transmissione: contrà quàm fieri solebat in ἐλξαι & ὥσαι, ubi motus humorum principium primum & per se est externum, in ipsis videlicet medicamentis positum.

## XX.

Tunc autem commodissimè humores transmittere aliò, viasq; ipsis transmittendis parare poterimus, si cognitas habuerimus & perspectas ex anatomia vias illas sensibiles, per quas ab uno loco in aliū humores moueri possunt & solent aliàs. Non enim indefinitè, quocunque libet, humores transmittere, & amandare quasi, ac ablegare superfluos licet: sed perspicienda loca sunt patentia & aperta, quae cum parte affecta, in qua τὸ περιττὸν continetur, communionem quandam & connexionem habent, sicut hoc generatim etiam docet Galen. lib. 7. meth. med. cap. ult.

## XXI.

Quod si pro vacuatione supersui non duntaxat vias expeditas reddimus, sed in super talia adhibemus medicamenta, quae quoquo modo humorem loco mouere & vacuare possunt, tunc



non simplex illa est transmissio, sed motus quasi ex attractione & transmissione compositus. Veluti si pro euacuatione superflui ex inflammato liene, non tantum ea exhibeamus, quae venas splenicis, ad aluum & intestina directas, ceterum obstructas, aperire & expedire solent: sed insuper succum melancholicum purgare & vacuare possunt. Tunc enim non tantum est transmissio, sed etiam aliqua vel vacui ratione facta attractio.

## XXII.

Et quanquam transmissio praesertim respicit ipsam derivationem, cum per vicina loca humor superfluus transmittitur: tamen nihil vetat, quod minus interdum etiam ad reuulsionem referatur, qua in contrarium situm humor feratur. Hinc ut in transmissione derivationem à reuulsione distinguere possis, observanda venarum distributio, pro ea enim transmissio erit vel reuulsiva, vel derivativa: ratione enim propinqui situs, transmissio erit derivativa: ratione autem oppositorum intervallo- rum loci, reuulsiva existet transmissio.

## XXIII.

Proinde τὸ πρὸς τὴν ἐκ τῆς parte inflammata retrocedet vel uno aliquo expositorum motuum, vel omnibus. Siquidem pro partis inflammatae conditione, situ puto & connexionione ipsius, quin etiam inflammationis feruore & magnitudine, imò causae mor- bificae copia motuq; & reliquis indicationum scopis observatis, aliàs unus aliquis descriptorum motuum sufficiet, aliàs verò duo illi, vel tres etiam simul administrari debent: sic ut & at- trahamus, & repellamus, & transmittamus etiam τὸ πρὸς τὴν ἐκ τῆς parte inflammata.

## XXIV.

Per locum verò patientem euacuabitur superfluum, partim quidem manifestè & sensibiliter, ut & humor ipse sub sua for- ma educatur, & insuper sensibiliter percipiatur, quod fit aliàs  
per



per venæ sectionem, scarificationem, puris excretionem, & similes euacuationum species: partim verò in vapores resolutum, quo in genere locum habet cum occulta totius corporis transpiratione, qua subinde per poros meatusq; cutis exhalant & diffillantur, propter, calorem humidum nostrum perpetuo resoluentem & extenuantem, halitiosa quædam excrementa insensibiliter: tum peculiariter ac priuatim διαφύσσει; ipsius partis inflammatione.

## XXV.

Sed per sensibilem effluxum, qui fiat per ipsam patientem partem, non præsertim intelligimus venæ sectionem & scarificationem, cum membrum inflammatum, quatenus absolute inflammatum est, neq; incidere, neque scarificare oporteat: sed intelligimus euacuationem sensibilem, quæ fiat deriuatione quadam, cum in vicinia aperimus, quæ aliquam habent osculorum cum parte inflammata conuenientiam, seu, ut Galen. 13. Meth. cap. 19. vocat, συνανασόμασιν ac κοινωσίαις.

## XXVI.

Quoniam id quod in parte inflammata continetur est ἀνοιοιόμενός, cum aliæ in eo sint partes crassæ, terrestres nimirum & aquosæ magis: aliæ verò tenuiores, ut ærææ & igneæ: (ex his siquidem sanguis omnis, ceu quatuor diuersos humores in se continens, constat) meritò crassiores illæ portiones sensibili euacuatione egent: tenues autem in vapores conuersæ insensibiliter euuari possunt, ut quæ magis attenuentur ac resoluantur, ut iam reposita priore specie in vapores transeant & concedant, propter calorem scilicet, qui hoc pacto humidum quodque attenuat & inhalitus conuertere potest.

## XXVII.

Ac concurrunt triplex calor in ista attenuatione. Primum naturalis membri inflammati calor, qui princeps est causa:



*Alter est παρὰ φύσιν, nempe feruor ille igneus ipsius inflammationis: qui ut materiam contentam propter nimium excessum planè adurat, & in cineres quasi commutet crassiores materie illius partes, tamen id quod humidius est & aëreum, in halitus concedere facit. Tertius est calor ipsorum medicamentorum digerentium & διαφορητικῶν, quæ adhibet Medicus, quæ naturalem membri calorem ea parte, qua resoluendo deficit debiliorq; est, adiuuant & corroborant, ut tantò felicius motus ille attenuationis procuretur & administretur: uno quasi mouente ex duobus diuersis composito & effecto.*

## XXVIII.

*Medicamenta hæc digerentia & διαφορητικὰ, quæ naturalem calorem in attenuatione iuuant, in specie vocantur χαλαστικά, laxantia, hæc enim phlegmonibus sunt aptissima, ut docet Galen. lib. 5. de simpl. medic. facult. cap. 10. & lib. 13. meth. cap. 6. & 7. ubi sic inter cætera scribit. In phlegmone commodus est usus eorum quæ modicè calefaciunt, quæ Græcè χαλαστικά, id est, relaxantia siue remittentia vocamus, ut quæ conniuentiam corporis laxent, & flatuosum spiritum tenuent, & quod phlegmones iam conflatum est, digerant, atque hinc etiam dolorem ex his causis generatum, sedare queant.*

## XXIX.

*Proinde si totum corpus plus æquo succis & humoribus repletum fuerit, per patientem locum minimè euacuandum. Nam si scarificationibus aut sectionibus sensibilibus euacuabimus, plus ratione excitati doloris attrahemus: si verò calefacientibus dispergere tentabimus: plus erit id quod vi caloris ad partem attrahetur, quàm dispersum: quod si in eo elaborabimus, ut, quod influxit, retrocedat, corpus plenum non admittet.*

## XXX.

*Ab ambo illa præstanda, ut videlicet sine noxa calefacientibus*



entibus dispergamus, & deinde cogere possimus, ut, q̄ influxit, retrocedat, totum corpus euacuare oportet, aut ad alia omnino loca retrahere quod influit particula patienti. Et posteaquā adhibita fuerit pro quantitate affectuum vel reuulsio sola, vel sola euacuatio, vel ambo simul coniunctim: tunc opere illo perfectō, prius à parte repellendum, postea dispergendum. ετοιμοτέρα γὰρ ἢ κένωσις, ὅσω δὲ πλεόνωρ, ut eleganter Galenus monet.

## XXXI.

A patiente verò loco astringendo & refrigerando repellimus, & aliàs quidem coniunctim his semper est utendum, aliquando verò sola astringentia, aliàs sola refrigerantia sufficiunt: in affectu verò grauiore, qui postulet euacuationes & reuulsiones, nec illa, nec astringentia solùm, sed quæ simul astringant & refrigerent, requiruntur, nam quia refrigerant, incursum calidorum humorum arcent: & quia astringunt, simul aliquid ex parte affecta exprimunt.

## XXXII.

Atq; exinanita loca attrahunt ad seipsa quæcunq; reperiuntur, non certè tanquam familiarem humorem, ut qui iam sit alteratus in parte inflammata, & propterea ineptus ad nutritionem: sed quòd fuga metuq; vacui repleantur, ac sponte in locum euacuati succedat humor. Et ipsa vasa præterea vigore ex medicaminibus astringentibus addito à se ad alia remittunt: quam tamen causam, priuatimè duntaxat, & non etiam positiuè accipiendam esse arbitramur, cùm non illo ipso suo vigore ex astringentibus accepto à se expellant & protrudant, quod quoquo modo qualitate vel quantitate ipsis est molestum: sed quia propter robur & tonum non faciliè admittunt: & sic non admittendo ad se, transmittunt ad alias partes.

## XXXIII.

Neg; omni inflammationi conueniunt repellentia: sed tria



*in vniuersum sunt, quæ talem curationem prohibent, nempe, totius corporis repletio, prauus siue pestilens humor ad membrum confluens, & loci ineptitudo, membræ nobili vicinitas. Pleno namque existente corpore, repulsio non solum nihil prodest: sed etiam propter commotionem humorum, qui nusquam recipi tamen possunt, plurimum obest. Prauus autem humor intrò repulsus, aut maiorem morbum excitat, aut ad membra nobilia delapsus, vires extinguit. Locus deniq; repellentium usum excludit, aut quia ex se minimè est aptus, aut quia membro nobili vicinus, aut deniq; quia ob profundiorē situm suum plenior euadit, propulso humore ab exterioribus ad interiora magis.*

## XXXIII.

*Neque quouis tempore inflammationis repellentia conueniunt, sed cum horum, tum digerentium medicamentorum usus contrario ordine procedit, & ἀνὰ πάλιν in inflammationis alicuius temporibus. In principio namque multum præpollere debent ipsa repellentia cum leuiter admodum digerentibus: in augmento cum præpollentibus digerentibus leuiter repellentia sunt admiscenda: in statu adhuc magis præpolleant digerentia, minuantur autem repellentia: in declinatione præpollentibus digerentibus admiscere oportet ea etiamnum quæ leuiter astringunt, ut sua illa astrictione partem corroborent, & in futurum quasi aduersus incursum humorum munire & præseruare valeant.*

## XXXV.

*Quòd si vacuatione totius corporis præmissa, & reuulsione facta, repellentibus quinetiam adhibitis, omne superfluum ex parte inflammata retrocessit, bene utiq; se res habet: sin autem aliquid etiamnum remanserit in particula ista affecta, id quomodo euacuandum sit, cognoscemus, si prius qualitatem eius animaduertamus, utrum derelictum illud & etiamnum hærens*



rens in particula crassum sit an tenue: deinde perspexerimus etiam locum ac sedem, ubinam derelictus in parte humor contineatur & subsistat. Et qualitatem quidem eius iudicabimus esse lentam & crassam, cum usu repellentium medicamentorum non retrocesserit: & occupare conijciemus τὰς μεταξὺ χώρας τὰς κενὰς, spacia nimirum illa, quæ in medio sunt similarium corporum, in ea enim si effusus modò fuerit, vix medicamentorum repellentium operâ recedere & repelli potest.

## XXXVI.

Vnde si derelictus humor vel propter lentorem, vel quòd in spacia intermedia effusus modò est, retrocedere nequeat, per ipsam patientem particulam euacuare illum conabimur: imponendo superiacentibus partibus ea, quæ influentem humorem repellendi vim habent: & postea ipsi parti patienti euacuationis gratia adhibebimus digerentia, quæ propriè & unicè illud, quod derelictum est, aut in media spacia effusum, educere, & sic ipsam partem patientem euacuare possunt.

## XXXVII.

Non tamen digerentia calidiora adhibenda sunt, cum mordicationem excitent, & sic dolorem in parte affecta creent, unde fluxiones proritantur: sed potius eligenda sunt moderatè calefacientia, à quibus abest mordicatio & dolor, cuiusmodi præsertim sunt, quæ cum calore coniunctam habent humiditatem, quæ etsi validam vim non habent ad omnes inflammationes resoluendas: illis certè sufficiunt, quæ in superficie corporis versantur, quippe quòd eò integris viribus pertingere possint.

## XXXVIII.

Sed ad profundiores inflammationes resoluendas adhibenda sunt vehementiora diaphoretica, quia illa postulat affectus,  
obsi-



ob situm partis, ne longiore transitu exoluantur. Et nihil impedit quò minus illis utamur, cum superiores partes omni vacent affectu, unde nullum dolorem sentient ab eiusmodi acrioribus diaphoreticis: sicuti hoc fieret, si una cum internis exteriores quoque illis circumpositæ partes phlegmones affectu laborarent, ut si cum interioribus etiam exteriores muscoli in latera essent inflammati.

## XXXIX.

Porro ad methodum sanandi phlegmonas plures adhuc adijcienda sunt limitationes, inter quas una etiam est, quæ à consistentia vel substantia partium sumitur, quæ alia atque alia facienda esse monet. Si namque laxæ & molles partes inflammatione corripiantur, non requirunt fortia & acria diaphoretica, sed facile euacuari ex illis potest, si quid est derelictum: sed quæ sunt dense, duræ atque compactæ egent acrioribus euacuantibus, ac præterea tenuiores partes habentibus: atque eò etiam magis, quò profundior situm.

## XL.

Quod tamen non de quavis humectatione aut exiccandratione, quæ partibus rarioribus, mollioribus & laxioribus accidere potest, intelligi volumus: sed de ea tantum, in qua post curatam per præcedentia auxilia phlegmonem, aliquid humoris etiamnum derelictum est in huiusmodi partibus raris, laxis & mollibus, quod non planè per præcedentia auxilia retrocessit: pro cuius superflui humoris euacuatione omnimoda, non opus habemus tam validis & acris, atque si illud derelictum continetur in parte aliqua densa, compacta & dura.

## XLI.

Pro conueniente euacuatione superflui, considerari etiam debet situs ac formatio partium. Si enim in epate sit superfluitas in angustis vasorum finibus intrusis humoribus, qui ve  
lent



*lenti ac tenaces, vel crassi existant, vel superabundent: primum quidem crassitiem unà cum lentore & tenacitate cibis ac potibus extenuantibus ad subtiliorum partium substantiam transferemus: deinde non per angustas atque inuisibiles, sed latiores meatus, quorum alij in gibbis ad venam cauam, alij autem in cauis ad portam terminantur, quicquid infestum est, euacuabimus.*

## XLII.

*Ac pressos illos stipatosq; humores in angustis finibus vasorum venæ portæ, ex angustioribus illis in latiores subinde maioresq; venæ portæ ramos ad aluum deducimus usu medicamentorum trahentium: ad urina verò meatus promouebimus per venam cauam quicunq; in venis ad eam pertinentibus sunt: si quidem moderata sit copia, aliàs autem iecinoris gibba, si multo vitioso succo sint referta, per aluum & pharmaca deiectoria euacuari debent, de sententia Galeni lib. 7. Meth.*

## XLIII.

*Neque negligenda in curationibus phlegmonum illa indicatio, quæ à dignitate & officio partis sumitur. In his namq; intemperiebus, quæ ex humoribus sunt orta, si particula soli sibi seruiat, audacter vacues licet: sed tamen & virtuti attentus: si necessarium eius opus sit omnibus alijs partibus, veluti ventriculi & iecinoris, non levis habenda sollicitudo, ne hanc magna simul euacuatione usus, dissoluas, sed omnino pro partium usu & dignitate curationis formam permutare oportet, ut Galen. 2. ad Glauc. cap. 7. monet.*

## XLIIII.

*Hinc est, quòd in epatis inflammatione non sola digerentia & χαλαστικά conueniant, ut quæ ipsius vigorem ac tonum resoluant, & ea ratione & ipsum primum ad suum opus debilitant: deinde, venas quoque eius ratione imbecilles efficiunt,*



cum, ut venæ grauius alterata eandem qualitatem per continuitatis alterationem epati imprimunt, sic etiam vicissim epatis parenchymate affecto aut debilitato, eadem debilitas venis quoque communicetur, quare in his curationibus aliqua ex astringentibus medicaminibus miscere oportet, ut Galen, etiam 13. Meth. docet.

## XLV.

Quò autem ad epar in profundiore loco collocatum integrè astringentis medicaminis vis pertingere queat, nec debilitetur vel adulteretur propter humorum, sanguinis & spirituum in illis partibus, quas pertransire debet, confusionem: admiscebimus illi alteram aliquam subtilium partium substantiam, quòd illam quasi intrò traducat, aperiendo magis vias, laxãdoq; meatus: quòd per ipsas astrictoria virtus penetrare valeat.

## XLVI.

Quod si unum medicamentorum ex natura has duas habeat insitas vires, ut scilicet propter tenuitatem substantiæ penetrans discutiât, ac astrictione sua confirmet & corroboret: nec erimus coacti compositum pharmacum arte conficere, quod idem præstet, ac id quod sua natura tale est: ac præstat adhiberi unum idemq; medicamentum talibus facultatibus per naturam præditum, quàm arte per admixtionem aliorum tale efficere, cum συμφύτως ἔχον δυνάμεις potentiùs agat, eo, quod per artem & mixtionem tale efficitur.

## XLVII.

Et quia non tantum venæ partesq; continentes agunt in humores contentos: sed etiam vicissim partes repatiuntur, & humores ipsi in partes agunt continentes, suasq; qualitates ipsis imprimunt & inducunt: ideo post euacuationem superflui ac derelicti humoris, alia insuper spectanda nobis & captanda indicatio relinquitur ab humoris confluentis aut contenti qualitate:



tate: modò alterata sit ipsa nativa membri temperatura, ut illam, quoq; παρὰ φύσιν alterationem tollamus, & sic integra sanitati, ἢ ὅτι restituamus particulam.

## XLVIII.

Alterationem illam factam & permanentem, & hinc eius curandirationem cognoscemus ex natura humoris, qui illam excitavit. Si enim humor influens vel derelictus magis naturam pituitæ referat, frigidiorq; sit, certè pars continens frigidior ab illo euadet: si verò superfluum id quod continetur, fuerit χολωδὲς, & magis ad bilis accedat naturam cum calore & siccitate, tum ceteris qualitatibus illi humori bilioso peculiaribus & respondentibus, utique pars etiam ipsa continens biliosior, calidior sicciorq; efficitur.

## XLIX.

Curabimus autem contrariam ex aduerso adferentes qualitatem, calidam refrigerantes, frigidam calefacientes, & sic de cæteris: contraria enim sunt contrariorum remedia. Ac si quidem κατὰ δυνάμει talia fuerint, per se curare, morbumq; demoliri solent: si autem κατὰ φαντασίαν tantum talia fuerint, tunc ex accidente hoc ipsum præstant, quibus etiam non plerumq; sed ex accidente interdum utimur, si curanda nobis proponatur intemperies.

## L.

Quantum autem alterandum sit contraria qualitate, hoc primum & per se monstrat nobis ipsum μέγεθος τῆς δυσκρασίας, illi enim causa quantitatis debet esse ἀνέλογον hoc, quod curationis gratia adhibemus contrarium. Si enim duobus gradibus caloris pars continens à contento humore ἐκτικῶς alterata fuerit, utiq; duobus gradibus refrigerans medicamentum eidem adhibebimus, & sic de cæteris: quantò unumquodq; calidius aut frigidius factum est, tantum refrigerantes aut calefacientes, &c.



Quod si cupiamus cognitum perspectumq; habere μέγεθ  
 τῆς δυνάμεως, & hinc quantitatem remedij adhibendi: debe-  
 mus ob oculos ponere & in memoriam nobis reuocare τὴν κατὰ  
 φύσιν ἐνέργειαν αὐτῆς, ipsam nimirum naturalem partis tempe-  
 raturam, qualis sit, hæc enim non tantum quantitatem adhi-  
 bendorum remediorum, sed etiam eorum usum monstrat, quo-  
 ad scilicet & quandiu illis sit utendum, & quando desi-  
 stendum, sublato scilicet iam affectu, & parti na-  
 turali suæ ἐνέργειᾳ restituta.

FINIS.

